fr. mox: Valentius
S.J.
memoriae Reginaldianorum et
Sectiorum
omnis aevi, chronologice
proposita
cum
Indice Alphabetico
Bibliotheca dominica
Vindobonae 1784. 8 (ang.)

Exemplum legata

APHORISMI
MEDICO-PRACTICI
DE
MORBO
APHRODISIACO,

QUOS

ADNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA *UNIVERSITATE VINDOBONENSI*

PRO

SUPREMA DOCTORATUS LAUREA PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

VALENTIN. HILTENBRAND
VINDOBONENSIS.

DISPUTABITUR IN MAGNO UNIVERSITATIS PALATIO. *DIE* 29. *MENSIS JULII ANNI* 1784.

VINDOBONAE,
E TYPOGRAPHAEO UNIVERSITATIS
CASPARI SALZER 1784.

— Labes, qua ſævior uſquam
Nulla fuit — —

Hier. Fracaſtor.



I.

MORBUS VENEREUS, ἀφροδίσιος graecorum, peculiari miaſmate inter homines diſſeminatur, peculiaribus ſymtomatibus ſtipatur, mercurio utplurimum curatur. Genuina ejus indoles nondum bene perſpecta.

II.

Ex America ad nos translatus videtur, cum fama ferat, eum ibi loci nonnunquam epidemice graſſari.

III.

In Europa ſemper contagio adquiritur, etſi in patria ſine contagio ortum ſumere debuerit.

IV.

Contrahitur autem apud nos generatione, lactatione & impuro commercio.

V.

Imo etiam oſculo, hauſtu ex codem poculo, cohabitatione, adcubitu contrahi poſſe, probabile eſt.

VI.

Licet ſpecificum praeſervativum antiſyphiliticum non ſit impoſſibile; arcanorum tamen hodiernorum fama infida eſt, & parum boni promittit.

VII.

Sedes morbi venerei a cel. Aſtruc & aliis bonis viris in lympha glandularum & muco ſtatuitur. Saltem partes mucoſae & glanduloſae prae ceteris adficiuntur.

VIII.

Optima ejus diviſio eſt in haereditarium connatum & adquiſitum, ſi originem ſpectemus; ſi vero locum adfectum, apprime in univerſalem & topicum diſpeſcitur.

IX.

Peculiaria morbi ſyphilitici ſymtomata ſunt gonorrhaea, bubo, cancer, phymoſis, paraphymoſis, condylomata; ipſa lues, cephalaea, ophthalmia, amauroſis, ozaena, arthritis, angina &c.

X.

Eſt in quolibet homine ad particulare veneni venerei ſymtoma diſpoſitio. Unus gonorrhaeis, alter cancris, tertius bubonibus eſt ſubjectus; & ex pluribus ad eandem feminam accedentibus, quilibet pro ſibi propria diſpoſitione aliam & aliam mercedem adquirit.

XI.

GONORRHAEA venerea eſt ſtillicidium muci puriformis ex verendis.

XII.

Non datur eſſentialis differentia inter fluorem album venereum & gonorrhaeam.

XIII.

Facilius tamen gonorrhaea curatur in viris quam in feminis.

XIV.

Qui in hoc morbo effluit humor, nunquam verum ſemen eſt, ſed partim pus, partim mucus veneno venereo exacerbatus.

XV.

Virus gonorrhaicum a venereo diſtinctum plane non eſt.

XVI.

Sedes gonorrhaeae in viris eſt urethra, lacunae Morgagnianae, & ipſae nonnunquam veſiculae ſeminales; in feminis autem vagina, ejus lacunae & glandulae.

XVII.

Signa, quibus gonorrhaea venerea a non venerea differt a praegreſſo coitu ſuſpecto, & colore virideſcente deſumenda veniunt.

XVIII.

Decurſus autem gonorrhaeae venereae in binas periodos optime dividitur; unam inflammationis, & puruleſcentiae alteram. Alii autem Practici plura hujus morbi ſtadia adſumunt.

XIX.

In prima periodo convenirent antiphlogiſtica, decocta emollientia nitroſa, potus, cataplaſmata, injectiones ſimiles. In majori gradu inflammationis venaeſectio in brachio indicatur; imo in vena dorſali penis, ſi caſus valdopere urgeat. Nocent in hoc ſtadio mercurius, balſamica, adſtringentia.

XX.

Secunda vero periodus exigit eccoprotica, ſanguinem purificantia, roborantia, injectionesque mercuriales. Si ulcus adſit, interne mercurius, externe detergentia, exſiccantia conducunt.

XXI.

Dantur gonorrhaeae, quae ob inflammationem exiguam pertinaces, nec non periculoſae evadunt. Hisce antiphlogiſtica, emollientia nocent.

XXII.

Vulgare eſt, gonorrhaicis decocta lignorum praeſcribere, quae vero male conducunt, ſi calor aut febris adeſſet.

XXIII.

Quo citius prorumpit gonorrhaea poſt impurum commercium; eo mitior eſt & minus periculoſa. Quo copioſius eſt profluvium, eo melius.

XXIV.

Habitualis illa, ſeu inveterata gonorrhaea, que vel a multis menſibus, imo annis durat, ab ulcere urethrae ſaepe ortum ducit, ſaepius vero ab atonia ductuum excretoriorum. Si ab ulcere orta, candelulae balſamo mercuriali illitae conveniunt; ſi vero a laxitate, roborantia in- & externe indicantur.

XXV.

Gonorrhaea retropulſa dicitur. ſi materies gonorrhaicà ex urethra ad alias corporis partes recurrat. Decurrit autem plerumque ad partes vicinas, ad glandulas inguina-

les, ad ſcrotum & teſtes, frequenter etiam ad oculos, ad fauces; quandoque cum lethali eventu ad caput & cerebrum.

XXVI.

Cauſae retropulſionis utplurimum ſunt adſtringentium abuſus, & purgantia valida in primo ſtadio exhibita.

XXVII.

PHYMOSIS venerea eſt intumeſcentia praeputii, quae glandis denudationem impedit.

XXVIII.

Ab inflammatione ſi oriatur phymoſis, ulceribus, condylomatibus, aut gonorrhaeae plerumque ſociatur. Curatur methodo antiphlogiſtica, praecipue balneis topicis, venaeſectione in brachio, ſcarificatione, hirudine peni adplicata.

XXIX.

Phymoſis oedematoſa curatur praeter purgantia, mercurio interne adhibito & balneo topico, ex ſolutione aquoſa ſublimati cum ſpiritu vini mixta.

XXX.

PARAPHYMOSIS eſt inflammatio venerea glandis, quae praeputium reprimit, & membrum quaſi ſtrangulat.

XXXI.

Hic morbus bene diſtinguendus eſt a paraphymoſi non venerea, quae quandoque occurrit.

XXXII.

Quia inflammatio & ſtrangulatio inevitabiles ſunt paraphymoſeos comites; hinc gangraenae ex hac cauſa non adeo infrequentes.

XXXIII.

Cura vero ex prioribus facile eruenda.

XXXIV.

CANCER venereus eſt ulcus peculiare a cauſa venerea, devaſtans glandem vel internam praeputii ſuperficiem.

XXXV.

Diviſio ejus optima in protopathicum & deuteropathicum; praeterea in cancrum cum & ſine baſi indurata.

XXXVI.

Si eſt inflammatorius & ulceratus, discuſſa phlogoſi requiritur cura mercurialis, & decocta ſanquinem depurantia. Juvant quandoque emollientia, quibus vero fruſtra adhibitis confugiendum ad rodentia, lapidem infernalem, aquam phagadaenicam, mercurium praecipitatum rubrum & ſimilia.

XXXVII.

Si fuerit gangraenoſus, proſunt balnea penis in aqua vegetominerali, aqua calcis cum camphora, aut decocto corticis cum alumine.

XXXVIII.

TESTICULUS VENEREUS eſt tumor teſtis a cauſa venerea; ſive nunc ſit inflammatorius, ſuppuratorius, gangraenoſus, ſcirrhoſus.

XXXIX.

Cauſae ſunt retropulſa gonorrhaea aut eadem in primo ſtudio adſtringentibus, balſamicis &c. male curata.

XXXX.

Cura pro varia tumoris indole variat. In caſu deſperato caſtratio unica medela,

XXXXI.

BUBO venereus eſt tumor glandulae inguinalis, rarius axillaris a cauſa venerea. Figura utplurimum teres & oblonga. Magnitudo exigua raro pugnum excedens.

XXXXII.

Bubo non confundendus cum hernia aut tumore varicoſo ſpermatici funis.

XXXXIII.

Dividitur in oedematoſum, inflammatorium, ſuppuratorium, ſcirrhoſum, cancroſum. Hinc varia medela,

XXXXIV.

Bubones ſi rite procedant, ſibi relinquantur: ſin minus, ut nunc duriores, nunc molliores, nunc elatiores, nunc depreſſiores adpareant; etiam exigua praeſente fluctuatione aperiantur.

XXXXV.

Nonniſi in prima origine feliciter reſolvuntur. Tardius aut nihil contra naturalem diſpoſitionem efficimus, aut reſolutionem in menſes protrahimus, aut ſcirrhos generamus.

XXXXVI.

Probant hoc inertia illa ſubjecta, in quibus, omni molimine adhibitis maturantibus, ſtimulantibus, reſolutionem ſpontaneam impedire nequimus.

XXXXVII.

Dantur certe bubones mere ſympathici & a mero conſenſu orti. Probat obvia ubique analogia. Hos ſuppurare inſanum eſſet.

XXXXVIII.

Evacuatorum bubonum per vaginam in feminis abortientibus exempla dantur.

XXXXIX.

Frictiones mercuriales, bubones reſolvendi ſcopo, prudentius in interno femore, in dorſo penis, quam ſupra ipſum bubonem fierent.

L.

An bubones ſunt virus venerei adgeſtio, an meri obſtruentis acrimoniae effectus? Quaeſtio valde practica.

LI.

CONDILOMATA venerea ſunt excreſcentiae fungoſae, carneae conſiſtentiae, a cauſa venerea ortae. Pro varia figura mox verucae, mox ficus, mox mora, mox criſtae gallinae adpellantur.

LII.

Sedes eorum eſt in praeputio, glande, corona glandis apud viros, juxta anum & in labiis vulvae apud feminas; imo etiam in faucibus & in mammis earum deprehenduntur, quae venereos infantes lactant.

LIII.

Si ſint recentia, ſaepe ſola cura mercuriali & ſanguinem depurante diſparent: Si vero ſint inveterata, praeter curam internam requiritur etiam externa, per cauſtica, vel per inſtrumenta, & per ligaturas.

LIV.

Eſt demum peculiare a veneno venereo ſymtoma, quod ſaepe vaſa lymphatica in dorſo penis decurrentia infarciantur, & inſtar fili metallici indurentur, qui morbus me-

dico & aegroto inquietudinem magnam parit. Inſtantaneum habetur juvamen, ſi membrum in infuſo flammulae jovis balneatur.

LV.

LUES venerea confirmata cognoſcitur ex gonorrhaea, aut aliis venereis ſymtomatibus praegreſſis, ex ulceribus faucium lardaceis, ex ophthalmia pertinaci, ex doloribus artuum noctu plus ſaevientibus; ex tumoribus oſſium, nodis, tophis, exoſtoſibus; ex maculis rubro-flavis, circularibus, parum elevatis cum margine albido; ex puſtulis in fronte circa radices pilorum, ex voce parva per nares formata, raucedine perſtanti &c.

LVI.

Juvat quoque ad hanc diagnoſin ſcire hominis conditionem; ſic famulae, famuli, criſpatores &c. frequentiſſime hoc morbo adficiuntur.

LVII.

Cauti debemus eſſe in judicanda lue, circa dolores arthriticos, rheumaticos, nocturnos; cautiſſimi, ubi arthritides ſunt endemicae vel epidemicae.

LVIII.

Quibus frequentes fuêre infectiones, his irritabilitas valde aucta eſt, & lues difficilius curatur. In ſubjecto quoque adulto & ad inflammationem proclivi cura difficilior.

LIX.

Methodus curandi luem, aut ſine mercurio, aut cum mercurio perficitur.

LX.

Methodus curandi ſine mercurio exhibet remedia attenuantia, ſudorifera, ſic dicta ſanguinem depurantia.

LXI.

Huc ſpectant radix bardanae, chinae nodoſae, ſarſaparillae, lignum guajacum, ſaſſafras, flammula jovis, gratiola, lobelia, cicuta, cortex mezeraei, ſtipites dulcamarae, antimonium.

LXII.

Haec methodus non ſolum valere poteſt in lue recenti & leviori, ubi virus haeret in vaſis cutaneis; ſed etiam in lue jam magis irradicata & pertinaci.

LXIII.

Centeni venerei hac ſola methodo curantur, ita ut non omnis lues mercurio indigere videatur.

LXIV.

CURA MERCURIALIS cum priori plerumque jungitur. Eſt vel externa, vel interna. Ad externam frictiones, fumigationes & balnea reducuntur.

LXV.

Praecurſoria mercurii conſiſtant in auferenda febri, plethora, inflammatione & ſaburra.

LXVI.

FRICTIONES indicantur in omni fere vitio topico pertinaci ſine inflammatione; in morbo minus inveterato; in ſubjecto generoſo, ſaepius huic morbo obnoxio.

LXVII.

Rite dividitur inunctio in *ſalivatoriam*, ſi unguentum tanta copia quotidie inungitur, ut ſalivatio excitetur; & in *exſtinctoriam*, ſi frictiones omni altera vel tertia die, interpolatis purgantibus inſtituuntur.

LXVIII.

Poſterioris hujus methodi optimos vidi in noſocomiis eventus.

LXIX.

Partes inungendae, ſi malum ſit univerſale, ſunt femora, crura & brachia, ſucceſſive non ſimul inungenda.

LXX.

Doſis pro una inunctione a ſcrupulo ad drachmam ſemis; in non adſueto drachma una. Pro tota cura vero requiruntur unciae binae vel tres.

LXXI.

Unguentum mercuriale eo melius, quo diutius tritum.

LXXII.

Non datur certum tempus, quamdiu poſt curationem ſymtomatum continuanda ſit inunctio; ſed conſultum eſt, eam protrahere tamdiu, donec omne miaſma venereum deſtructum ſit; quod noſcitur, ſi morbus venereus non amplius a mercurio mutatur, & aeger mercurium difficilius ferre incipiat.

LXXIII.

Frictiones mercuriales in aëre moderate tepido, levi labore fiant. Laborioſa frictio cutem inpenetrabilem reddit.

LXXIV.

Noſcitur accedens ſalivatio pruritu, tumore gingivarum, majori ſalivae in os adfluxu, halitu & faetore peculiari.

LXXV.

Inhibent ſalivationem purgantia, balnea relaxantia, ſudorifera & diuretica medicamenta.

LXXVI.

Ad curandam luem infantum frictiones mercuriales optime in matre, nutrice aut capra lactante inſtituuntur.

LXXVII.

FUMIGATIO mercurialis aut cinnabarina in Moldavia & Walachia tantum uſualis, dum ſcilicet aeger pallio tectus vaporibus mercurialibus exponitur.

LXXVIII.

Ob periculum ſubitaneae ſuffocationis, & raro coercendam ſalivationem damnanda eſt.

LXXIX.

Prodeſſet tamen fors in adfectionibus topicis, fumo per infundibulum ad partem adfectam determinato.

LXXX.

BALNEA mercurialia univerſalia rarioris uſus; topica tamen ſaepius in uſum veniunt. Parantur ex argento vivo mucilagine aliqua exſtincto, aut ex ſublimato corroſivo ſoluto in aqua aut lacte.

LXXXI.

In ſcabie, herpete, lepra &c. a cauſa venerea optime indicantur; attamen potius balnea ex flammula jovis ſuaderem.

LXXXII.

Interna mercurialis cura longe frequentior externa. Adhibetur in debilibus, delicatioribus, ubi virus pertinax & ſedem in oſſibus figit, ubi mercurius mucilagine obvolutus cutim non facile penetrat.

LXXXIII.

Mercurius ſolus, id eſt crudus, majori copia deglutitus in inteſtinis non abſorbetur; hinc aut praeparata ejus praeſcribuntur, aut mucilagine exſtinctus, vel cum ſaccharo aut abſorbentibus tritus exhibetur.

LXXXIV.

Omnia praeparata mercurii majori doſi & longiori tempore data, cient ſalivationem; ſed tutius longe agunt, quam mercurius externe inunctus.

LXXXV.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS omnium mercurialium efficaciſſimum praeparatum eſt. Non ſolum vi propria, ſcilicet mercuriali agit, ſed etiam vi ſalina acidi admixti. Humoribus noſtris facile ſolvitur & optime miſcetur, diutiusque corpori inhaeret. Optime propinatur ex ſpiritu frumenti, aut e tinctura guajaci.

LXXXVI.

Non convenit autem hyſtericis, hypochondriacis, gravidis, infantibus, quia nervos offendit, menſes accelerat, & ad abortum diſponit. Non convenit ad phlogoſin diſpoſitis, non haemoptoicis, non phthyſicis.

LXXXVII.

Si malum non ſit nimis inveteratum, non nimis pertinax, ſi nondum mercurialibus ſed meris decoctis tractatum; tunc ſaepe *mercurio dulci* fugatur.

LXXXVIII.

Convenit hoc praeparatum illis, quibus ſublimatus graviora ſymtomata producit.

LXXXIX.

Solet quoque mercurius dulcis ad ciendam ſalivationem praeſcribi, praeſertim illis, quibus durante cura domum exire oportet.

LXXXX.

Laxis, ſanguineis, in ſudores proclivibus minores doſes mercurii, paſtaceis maximae conveniunt.